VIR AMPLISSIME et CONSULTISSIME
FAUTOR longe aestimatissime.

Nescio an, quas ad Te dedi Kiloniae et Petro-
burgi epistolas, recte traditae Tibi sint. Quod
si forte intercidissent, ferrem eo dolentius,
quo tua mihi colloquia iucundiora esse
solent. Cumque non defuturas mihi has tuarum
litterarum delicias liberaliter mihi promiseris,
vehementer equidem gaudeo. Nec mihi ullam
esse fere quae epistolam credas optatiorem, quam
a Te, Celeberrime VIR, aut Meckeniana ma-
nu profectam.
Ad Potentissimam Imperatricem quod nuper summo
moderamine Academiae nostrae universa admissa
sit, et quomodo excepta fuerit, accurate ad

160v

Illustrissimum Menkenium Vestrum petenti, qui tecum communicabit. Triremes, quae ante aliquot temporis spatium, (fortasse et Danorum copias diverterent) Chiri profectus fuerant, heri, ad nos reverterunt. Tanto ordine hae naves, quae duodecim utrinque remis sunt instructae, procedunt, tamque te pulchre sunt ornatae ut intuentium oculos mirifice oblectent. Navis hic adornatur, et perficitur, quam noster Beatissimae memoriae Caesar, pro ea quae in navali arte excellebat scientia, ipse olim aedificare incepit. Tanta est magnitudinis ut centum et viginti tormentis ferendis apta sit; in latebris eius omnia Caesaris praeclare in bello facta, sculptili arte adumbrabuntur. Princeps Georgiae quem ante aliquot tempus ab hostibus, e regno pulsum huc confugisse nosti, adhuc in terris nostris versatur. Graecae religioni est deditus. Atque maxima caussa est, cur a Turcis ejectus sit. Res Academiae nostrae iam iam constitutae erunt et ordinatae. Incepimus iam conventus agere sub praesidio [illegible], Illustrissimi Blumentrostii, qui Praeses est Acade-

mia nostra, Vir in omni Scientiarum genere
versatissimus: hactenus tamen de nulla alia
tractatum est nisi de ordinanda Academia
et gymnasio: quod cum Academia conjungetur
ita tamen ut omnes qui in eo litteris operam
dabunt adolescentium, informatio ad solos
studiosos, quos nobiscum adduximus, pertineat.
Incepimus singulis hebdomadibus bis convenire
mus, in quo sua arte quilibet vel inventum
aliquod vel aliud eruditum argumentum, reliquis
Academiae membris examinandum proponet.
Acta, singulis annis, vel citius etiam publi-
cabuntur. D. Bleda, Gymnasio praeficietur, et
quidem tertiae classi. Artifices separatum [illegible]
[illegible] Academia, ita ut apud Parisios.
Mitto his literis descriptionem victoriae a Persis, rela-
tae, ex qua modum quo nova publica hic eduntur
potes perspicere. Mitto quoque monetae Russiae
quam Rupicos vocant specimen, ut et [illegible]
inscriptione in B. Caesare. quam Stuppenius confecit.
Quae ut benigno vultu accipias rogo. Si occa-
sio se dabit aliud quod tibi profuisse non displi-
cebit mittam. Salutem. Vale, tuamque mihi
amicitiam conserva

Petropoli d. 26 Aug. 1726.

Tui Excellentissimi
Nominis

perpetuo et addi-
ctissimus cultor
J. P. Kohlius.

P. S. D. Blumentrostius, Schumacherus, Bulffingerus
Hermannus aliique plures
quam te salutant.
Hodie mihi inspectio, ut vocant, Gymnasii
in consessu adjudicata est. Acade-
miae nostrae lectiones propediem incipient.

A Monſieur
Monſieur Maſcov
Docteur et Profeſſeur
tres - celebre

a

Leipzig.